



~~17~~
EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

V-1

SIGNAT. MDCCCXXIII.



IN BEATVM OBITVM
 VIRI
 SVMME REVERENDI,
 DOMINI
 D. JOH. GEORGII
 NEVMANNI,
 THEOLOGI IN CATHEDRA
 LVTHERI CELEBERRIMI,

NONIS SEPTEMBR. A. CIOICIX.

VITEMBERGÆ, LITERIS GERDESIANIS.





Leucoꝛis haud frustra Priscis *Mons*
candidus audit,
Lux ubi post tenebras dia renata
fuit.

Oderunt tenebræ lucem, mendacia verum,
Omnibus inde malis Leucoꝛis illa nigra est.
Montibus elatam septem quis nesciat Urbem
Huic semper Monti se opposuisse sacro?
Impegit Petram simul & Calvinus in istam:
Cocca manet ratio sola relicta sibi.
Sic Anabaptistas habuit quoque Leucoꝛis hostes,
Et quicquid posthac restitit usque DEO.
Nec VVittenbergam gens Syncretistica laudat:
Perversum pacis scilicet obstat opus.
Sed Pietistarum fortassis habebit amicos
Ductores? Nemo peior habetur iis.
Quicquid sannarum reperitur, congerit ista
Turba, pios maculis docta notare Viros.
Cernis, ut Hæretici nota sit non ultima, si quis
Leucoꝛidis nequeat nomina, scripta, pati!
Hæc Tua vox, *NEUMANNE* fuit, vox un-
dique vera,
Quam nobis rerum tot documenta probant.

Id documenta probant *LOESCHERO* ad-
ducta Sionis (*)

Magno ornamento praesidioque sacrae.

Fallor? an hoc ipsum nunc iubila magna proba-
bunt,

Edita post fatum, Vir Venerande, Tuum.

Tu bene de vera cum religione mereri

Velles, servasti dogmata vera probe.

Nil Tibi cum falsis Doctoribus atque Prophetis,

Nil Tibi cum vasis vulpibus inde rei.

Fecisti, quicquid servum fecisse fidelem

Fas est, qui sibi tot credita corda videt.

Lutheri cathedram conscendens, pura docebas

Dogmata Lutheri, dogmata pura DEI.

Quot non hinc Promachos fidei Tua pulpita
sanctae

Mittebant? quot non scripta probata dabant?

Fratribus haec falsis ingrata fuisse, quis usquam

Ignoret? passim scommata sparsa legas.

Insultant lepores prostrato morte Leoni:

Nunc quoque gaudebunt Te cecidisse mali.

Lugebunt vero propera Te morte peremptum,

Quos ducit verae religionis amor.

Haeretici nota sit laetari funere tanto,

Largis quod lacrymis Leucoris alma rigat.

Wittenberga mihi dignissima semper honore

Visa fuit: Nihil haec, quod fugiamus, habet.

(*) Vid. Magnif. DN. D. V. E. LOESCHERI Disput. contra crimi-
nationem Neo-Pelagianismi recens orthodoxis Doctoribus impositam
§. 1. ubi de Th. Munzero, Qy. Kuhlmanno, J. M. Stengero, J. J. WWin-
cklero, G. Arnoldo, P. J. Spenero, Freilingshausenio, Langio aliisque
Cathedram Lutheri odio prosequentibus agitur.

Nil docuit; quod non & pagina sacra doceret;
Cur igitur veri non sit & illa tenax?
Hinc & me fateor magnam sentire dolorum
Partem, quos ipsi jam Libitina movet.
Lugeo *NEVMANNI* zelo divinitus aucti
Divino dotes occubuisse neci.
Plurima dignus erat vitam producere iustria,
Vtrique & cathedræ vivere dignus erat.
Jam cadit in medio felix Athleta duello,
Lernæa infestum dum quatit Hydra caput.
Sed cadit invictus stans, pugnans atque trium-
phans,
Atque, jubente DEO, coelica tecta subit.
Gratulor hoc Ipsi? concessa pace fruatur:
Otia, quæ fecit jam DEVS ipse, colat.
O mihi si liceat palatia pacis adire,
Atque brevi socium pacis adesse Tuæ?
Sed dum Jova jubet, sic in statione manendum est,
Ut mage defesso sit mage grata quies.
Is *VVittenbergæ* tot tantaque vulnera curet,
Permaneatque sui parmaque solque gregis!

f. Lipsiæ

D. THOMAS ITTIGIVS.



Ung.

VI 1

= [Occasionalia Vol. 2.
= Fumeralia K.-R.]

X.285598A

W 17
W 18





IN BEATVM OBITVM
 VIRI
 SVMME REVERENDI,
 DOMINI
 D. JOH. GEORGII
 NEVMANNI,
 THEOLOGI IN CATHEDRA
 LVTHERI CELEBERRIMI,

NONIS SEPTEMBR. A. CIOICIX.

VITEMBERGÆ, LITERIS GERDESIANIS.

Farbkarte #13

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
[Color patch]								
[Color patch]								

B.I.G.

